



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus

Hevenesi, Gábor

Coloniae, 1716

VD18 13912755

Signa Vocationis Divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)

17. In motibus internis, quorum causas & originem ignoras, attende finem ad quem inclinant, si hic bonus est? indubiè motus ille oritur à bono Spiritu; si finis vel malus est, vel majoris boni præpeditivus, originem ducit à malo spiritu.

18. In desolatione, dum nempe anxietatem, pusillanimitatem, & intellectus obscuritatem, & animi torporem sentis, nihil est determinandum, aut mutandum, sed expectandum, donec menti serenitas redeat. In his quippe tenebris operatur Princeps tenebrarum; piscatur in turbido; & hoc tempore maximè operatur in suos fines, & perniciem nostram. Nullibi faciliùs impingimus; quàm in tenebris; filii lucis serenitate, & mentis placiditate delectantur.

Signa Vocationis Divinæ.

I. **P**robate Spiritus, si ex DEO sunt. 1. Joan. 2. Nec enim omni instinctui credendum, neque cuncta desideria, quæ bona esse censentur, sunt opere exequenda, cum sæpe dæmon se possit in Angelum lucis transfigurare.

2. Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur affectus ad aliquem statum, idque maximè sub oratione, & pietatis exer-

exercitiis, absque eo, quòd ille status ab ullo sit persuasus.

3. Si quis ita constitutus sit, ut nisi crederetur hic instinctus esse à DEO, promissimus foret, ei nullo modo obtemperare.

4. Si quoties recordatur hujus instinctus, toties sentiat se impelli ad bonum, & desideria Christum humilem, pauperem sequendi, eaque omnia præstandi, quæ ad animæ salutem, & DEI gloriam spectant.

5. Si talis instinctus veniat cum animi pace, & lætitiâ, & in longiori ejus cogitatione gustum & consolationem sentiat; è contra dum ab eo se avertit, & mentem aliò applicat, sentiat animo suo non satisfieri.

6. Si sentiat sibi in animo quasi promitti vires ad perferendum omnia onera & incommoda illius status, addique spem ad vincendas impugnationes tum dæmonum, tum aliunde occurrentes.

7. Si rationes sibi objectas facile solvere possit, nec aliorum dissuasiones multum curet; nec moveatur in oppositum aliorum exemplis, quidcunque illi agant, aut eligant.

8. Si desideria ad hunc statum occur-

rant & se insinuent, absque eo, quod quis studio se ad illum reflectat, maximè si id contingat in casu aliquo subitaneo.

9. Inclination hęc ad aliquem statum non necessariò debet esse valde vehemens, sed sufficit, ut sit talis, ut adverti possit. Errant proinde, qui non credunt se vocari, nisi quasi ardeant præ desiderio alicujus status: aut nisi continuò, diu noctuque se impelli, ac quasi per capillos ad eum se trahi sentiant, quod licet aliquando faciat DEUS, plerumque tamen non facit. Tonabat quidem vehementius, dum Saulum ad se vocavit, Apostolos tamen in sibilo aurę tenuis per modum transeuntis vocavit, & uterque modus erat vox DEI.

10. Præter hanc affectionem ad aliquem statum, solet DEUS vocare per illustrationem intellectus, qua quis per pensis rationibus agnoscit, quis status pro sua salute, aliisque circumstantiis sit melior.

11. Si & affectio interna trahat, & intellectus statum suadeat, non est, ut quis dubitet.

12. Si ratio suadeat statum aliquem, & voluntas quasi reluctetur, absque ulla positiva ratione, sed solùm ex aliquo me-

me-

emetu, vel naturali irresolutione, præ reliquis est certius indicium veræ vocationis; nam signum est, quòd inter se pugnet bonus & malus spiritus; bono adhærere etiam cum renitentia proprii appetitus est majoris meriti. Talis vocatio est constantior; affectus enim facile mutatur, ratio semper manet. Dum Christus se juxta Patris æterni vocationem, & voluntatem vellet inchoandæ passioni accingere, *cæpit*, scriptura teste, *pavere, tædere, & mœstus esse*; nihilominus tamen ab executione voluntatis divinæ non recessit, sed se ad eam adimplendam animavit, dicens: *Surgite, eamus*, Ita decet eum agere, qui ratione convincitur, quæ sit voluntas DEI, licet natura, & sensualitas ab ejus executione horrorem, & renitentiam ostendat. Vetus hæc & optimè nota omnibus Ascetis pugna est, in qua *caro concupiscit ad versus spiritum, & spiritus ad versus carnem*. Gal. 5.

Signa veræ Vocationis ad determinatam Religionem.

I. **P**ROPOSITUM de ingressu Religionis non indigere probatione, utrùm sit à DEO? docet *S. Thom. 2. 2. quest. ult.*